

CORNELII TACITI

- antiquae religionis lucus ostenditur. praesidet sacerdos muliebri ornatu, sed deos interpretatione Romana Castorem Pollucemque memorant. ea vis numini, nomen Alcis. nulla simulacra, nullum peregrinae superstitionis vestigium ;
5 ut fratres tamen, ut iuvenes venerantur. ceterum Harii 5
super vires, quibus enumeratos paulo ante populos antecedunt, truces insitae feritati arte ac tempore lenocinantur : nigra scuta, tincta corpora ; atras ad proelia noctes legunt ipsaque formidine atque umbra feralis exercitus terrorem inferunt, nullo hostium sustinente novum ac velut infernum 10
aspectum ; nam primi in omnibus proeliis oculi vincuntur.
- 6 Trans Lugios Gotones regnantur, paulo iam adductius quam ceterae Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. protinus deinde ab Oceano Rugii et Lemovii ; omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves 15
gladii et erga reges obsequium.
- 44 Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, praeter viros armaque classibus valent. forma navium eo differt quod utrimque prora paratam semper adpulsui frontem agit. nec velis ministrant nec remos in ordinem lateribus adiungunt : 20
solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut res
2 poscit, hinc vel illinc remigium. est apud illos et opibus honos, eoque unus imperitat, nullis iam exceptionibus, non
3 precario iure parendi. nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promisco, sed clausa sub custode, et quidem servo, quia 25
subitos hostium incursus prohibet Oceanus, otiosae porro armatorum manus facile lasciviunt : enimvero neque nobilem neque ingenuum, ne libertinum quidem armis praeponere regia utilitas est.